



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis  
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate  
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

**Bucelin, Gabriel**

**[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.**

Iesu Christi Annus. M.D.XCIV. Sancti Patris Benedicti. M.CXIV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38498**

IESU CHRISTI ANNUS. M.D.XCIV.

Sancti Patris Benedicti, M.CXIV.

Congregatio  
Ordinis  
Anglicana.

Ingenti sacrae Romanae Ecclesiae & Anglicanae bono, Ordinis nostri ornamento sempiterno Congregatio illa Anglicana, de qua superius, felicissimo successu, etsi à multis, incertum quo spiritu, impugnata, & quantum poterat, impedita, Divinà allucente gratià, efflorescit, invalescit, & feliciter augmentatur. nomen suum eidem dantibus, illustrissimis hoc ipso tempore in Benedictino Ordine viris, quorum primi atque praecipui fuere sequentes, merito, pro suo Zelo verè Apostolico, & plus quàm generoso & Heroico, ex nomine celebrandi: Dominus Gregorius Sayrus, orbi Catholico in suis doctissimis ac solidè Theologicis lucubrationibus notissimus. Dominus Thomas Prestonus, Dominus Anselmus de Manceltria, D. D. Antonius Martinus, & Augustinus de S. Joanne, vir magni animi, summi Zeli praecipuaeque industriæ, & imperterritæ constantiæ; F. Joannes de Mervinia postea Martyrio affectus, ut & F. Marcus Lambertus, F. Maurus Scottus, F. Georgius Gervasius, diversis temporibus beatà morte, pro Christi fide constanter susceptà, saeculo erepti, caeloque inserti. Fuisse vero controversiam non parvam, invidentium gloriæ ab laboribus tam sanctis, & praeclaris Benedictinorum, ex literis quas subiecinus Eminentiissimi S. R. E. Cardinalis Alani, ad Athanasium SS. Trinitatis Cavensem Monachum, apparebit; ex quibus quantopere placuerit praedicto maximo Cardinali causa nostrorum, Lectori manifesto constabit.

Cardinalis  
Alani li-  
tera.

Chrissime Frater & Felix: Binas à te litteras, ex quo in illa sancta loca concessisti accepimus: utrasque eleganter & amantier, & quod caput est, religiose scriptas. Prioribus per meos familiares respondi: his posterioribus aliquid naecti oculi, ipsi rescribere volumus. Primum ut non ab alijs solum, quantum à nobis diligaris, sed nostris id potius verbis, manusq. nostrae scriptis tabulis intelligas. Deinde ut cognoscas, quanti faciamus illos tuos in sancta Religione progressus de quibus te nunc multo magis in Domino, quàm unquam ante in saeculo [licet semper propter praestantes animi dotes charissimus exiteris]

amamus & complectamur. postremo ut gaudium hoc nostrum quod de felicissima hujus vita sorte planè caelesti concepimus, tecum communicemus. In quo genere licet mihi Apostolicis uti verbis, majorem horum non habeo gratiam, quàm ut videam filios meos in veritate ambulare. Quod totum contemptis rebus humanis tanto animi ardore ac impetu, caelestia consecraris, mundique hujus, & vite saecularis sacrissimis, ac periculosissimis saeculi negotijs praeuleris hoc bonum solidum ac summe tibi salutare, fili, ex animo gratulamur, nec à Christo Opt. Max. hujus consilij tui auctore aliud continuis precibus, vel à tua charitate, vel à nobis postulandum est, quàm ut opus salutis tuae, quod ab ipso captum est, pie profequatur & perficiat. Faciet autem si tu, postquam manum ad aratrum Domini posueris, retro non respicias, sed ad anteriora totis viribus contendas; si Religionis graves sed suas labores naviter peruleris: si tentationes fortiter & constanter repuleris: si ea quae in saeculo, vel ab Hereticis, vel malis Catholicis, vel ab amulis, vel ab invidis ad tui probationem perpeffus es, ex animo prorsus ejicias tuo: ac etiam pro te persequemibus ores, quod factum omnes Sancti in caelo, quorum tu nunc vitam, & charitatem capisti degere, ac imitari in terra. Quidquid alij de hoc vite tuae sanctissimo instituto sentiant, aut loquantur, tibi persuadeas velim, tuas rationes summe cura esse; atque hoc tuum de Religione capeffenda consilium, vehementer placere; nosque sperare, te sanctissimo Ordini, in patria nostra florentissimo (NB) restituendo, ac calamo & ingenio adornando, ab hoc saeculo nequam divinitus ereptum esse. Quantum ergo in illa sanctissima disciplina proficies, tanto magis te amabimus, tantoque minus te salutaris consilij hujus penuebit. Si per epistolarem brevitate, aut scriptoris laborem liceret, possum pietati tuae multa ex historys nationis nostrae, de istius Ordinis in Anglia celebratae & sanctitate commemorare; nam & Augustinus ipse, & ceteri S. Gregory discipuli, qui gentem nostram ad fidem converterunt, erant omnes hujus Ordinis, atque omnia primum instituta Monasteria (de quibus Venerabilis Beda) sicut & ipse Beda erant ejusdem Instituti; & Capitula Cathedralia universa (NB) qua posterioribus temporibus erant Canoncorum saecularium, ab initio erant Ordinis S. BENEDICTI.

Athanasij  
Cavenfis  
Tyronis pia  
instructio.Religionis  
Commen-  
datio.

Fia

V.

Benedicti-  
norum de  
Anglia ce-  
lebrantur  
M.C. I.A.

*Ista erat Camuariensis Ecclesia tempore Lanfranci, Anselmi, Thomæ Martyris, qui & ipsi fuerunt Monachi ejusdem Instituti. Ut nihil dicamus de nobilissimis Monasterijs S. Albani, S. Edmundi, Glasterburienfi, cujus Abbas, sicut & plurimi alij claro persuncti sunt Martyrio, tempore Henrici VIII. Horum exempla Te, mi fili, ac ceteros nostros, ad hanc solidam in Christo & Ecclesia gloriam sectandam animare possunt: nos certe tantorum hominum sola commemoratione summopere delectamur: quæ quoque cogitatio, veterumque rerum nostrarum memoria, nos prolixiores quam volumus efficit, sed ad animum utriusque nostrum non male, nam tecum libenter loquamur. Memineris ergo nostri in orationibus, & Sacrificijs tuis, atque Superioribus loci, & Ordinis istius, à nobis multam diè salutem in Domino, qui & ipsos pro hac in peregrinis & nostris Christianissima charitate abundè beabit. Vale fili mi. Roma ex adibus nostris 12. kal. Febr. 1594. Manu propria Tuus in Christo Guilielmus Cardinalis Alanus. De reliquis consil. Cl. Reinerus. Moritur eodem anno in Germania nostra præclarissimis Abbatibus accensendus Joachimus Sangallensium Archimandrita, vir Religiosissimus & Doctissimus, qui Parisijs & Auernijs olim (ita fluctuante bellis Germania nostri Sangallenses, Weingartenses, Einsidenses, &c. ingenti sumptu in exteras provincias, ne Ordini & Ecclesiæ viri doctissimi deessent, ad studia mittebantur) omnes scientias largè imbibit. De viri meritis laudibus plura eruditissimus Jodocus Metzlerus libro 8. Rer. Sangall: quæ per multitudinem inferere nec licet, nec libet. Idem in Coadiutorem Episcopi Curienfis cum Jure & Decreto succedendi electus, memorabili rursus nostrorum Generositatis exemplo, persuaderi nulla ratione potuit, sed constantissimè Pontificales insulas recusavit, cucullo contentus, & sacrorum filiorum curâ, quos verè paternè dilexit, suoque exemplo ad omnem perfectionem formavit, & excoluit. Idem Juniores suos, cum domum foris Dilingæ, Romæ, Parisijs; &c. in studijs aluit, Pontifici Maximo, & Galliarum Regibus militem suum crebrò misit, Prælatum quemdam Apostatam doctissimis scriptis ab Hæresi revocavit. Dimissis ad tutiora suis*

Joachim  
Abbas S.  
Galli.

Curiensem  
Episcopatum  
con-  
stanter re-  
cusat.

Conventualibus (ecce veri Pastoris dignissimum, & S. R. J. Principis exemplum verè admirandum) pestilentissima lue passim grassante, ipse curam populi suscipit: atque in festo S. Bartholomæi, [ insigni planè die, loco, & morte ] in ipso suggestu apoplexiâ tactus, post pauculas horas sanctissimè exinguitur, aternâ memoriâ celebrandus, & catalogo Martyrum dignus, ut qui verè animam suam pro ovibus suis obtulerit. Reliquit etiam verè immortalis memoria Princeps, præstantissimi ingenij monumenta: aliquot, eaque inter librum unum: *De exercitatione veræ Virtutis*, & totam penè summam Divi Thomæ Aquinatis, redegit in tabulas. *Jodocus Metzlerus, Mercurius Bucelinus, &c.*

Ipso anno sanctæ memoriae Maria de Bellocville S. Aniani Comitissa, Abbatissa Montis Martyrum delignatur, quod ubi rescivit, tota in fletu resoluta, tanto dolore correpta est, ut moritura videretur. Verùm recreata paulo post est, quod intelligeret magnâ rerum in Orbe & urbeurbatione, Bullam Confirmationis Romæ non expediri, eo incredibiliter recreata, quo alij Electi vel maximè contristarentur, interim cum Cognata, sub obedientia, qua unice delectabatur, manens in Monasterio Bellomontensi, *Amand. Tribut, &c.*

IESU CHRISTI ANNUS, M. D. XCV.  
Sancti Patris Benedicti. M. C. XV.

Iterum gemma pretiosissima ex Ordine nostro Coronæ aternitatis inferitur Venerabilis Bernarda, admirandæ integritatis & puritatis Virgo Abbatissa Monasterij sancti Spiritus de Olmedo, quæ à Divino, & verè Seraphico in Deum amore mirè celebrata fuit. Claruit aures, ut multis Virtutibus, sic & Divinis revelationibus, visa sæpe à Monialibus, è terrâ, in sublimia elevata, cum animus ejus ad sublimia raperetur, ipso quoque corruptulo, omnibus prodente, quantæ sublimitatis anima esset, quæ aliàs vegetaretur. Evolvit denique post multa & mira sanctitatis relicta fororibus & filiabus sacris exempla, ad amplexus aternos Sponsi sui hoc anno, die undecima mensis Aprilis, felicissimam, & diu desideratam, resolutionis suæ horam

Venerabilis  
Pastor.

Gloriosa  
Mort.

V. Maria  
de Bellocville  
lure fuit.

Venerabilis  
Bernarda  
Abbatissa  
de Olmedo.